



**H**einricus ille natione Belga fuit. is ingenij caus-  
sa sese Moguntiam contulit, atq; cum doctis  
habitans, literis & uirtutibus operã dedit. Cum au-  
tem mediocrem eruditionẽ nactus esset, cœpit ua-  
rijs cantilenis res præclare à Germanis gestas cele-  
brare. Potissimum uerò Heroïnarum & mulierum  
laudes decantabat, atq; inter cætera cantica cantico-  
rum conscripsit, quæ ipse Vnser frauuen lied, uoca-  
uit. Ab hac mulierum commendatione suũ cogno-  
mẽ adeptus, apud omnes foeminas in maxima erat  
existimatione. Cum uerò hac ratione pergeret atq;  
tandẽ graui ætate onustus esset, rite Christiano mo-  
re sacramentis sumptis in Domino conuiuuit. Fu-

nus eius a mulieribus ab hospitiõ ad locum sepulturæ deportatum, & magna  
solennitate deductum est. Ibi lamentationes & querelæ foeminarum, per to-  
tam ferè Germaniam, ob mortem sui patroni atq; uiri optimi exaudita. Tan-  
ta deniq; in sepulchrum eius uini copia à mulieribus fusa fuit, ut per totũ am-  
bitum loci uinum copiosè flueret. Hac ratione honorificè in ambitu maioris  
ecclesiæ iuxta scalas Moguntia sepultus, anno 1317 in uigilia S. Andrea, ma-  
gnum suæ memoriæ desiderium mulieribus reliquit. Crantz.